



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

VII. Altissima Caritas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

VII. *Altissima
Caritas.* Adde rationem tertiam, prioribus affinem, iisque connexam: ibi plus esse perfectionis ac meriti, ubi plus est caritatis & amoris divini. Quemadmodum enim, si caritas abest, ne excelsissima quidem virtutum heroicarum opera profunt quidquam: ita, si adest, contactu suo inaurat omnia, & meritoria facit, etiam minimas indifferentesque actiones. Atqui nullum est consummatae caritatis certius argumentum, quam voluntatum conjunctio. *Nam eadem velle, & eadem nolle,* inquit Hieronymus, *haec demum firma amicitia est:* Si eadem scilicet velis ac nolis in amici gratiam, non in commodum tuum; sive, ut vulgò loquimur, si amicitiae amore movêris, non concupiscentiae. Desideras intelligere, quam à vidua Ruth foerus sua Noëmi amaretur? Audi dicentem cap. I. v. 16. *Hac mihi faciat Deus, & haec addat, si non sola mors me & te separaverit.* Sic Eliæ adhærescebat Elifæus lib. 4. Regum cap. 2. *Vivit Dominus, non derelinquam te.* Judicavêre Josaphathum intimè ac sincerè Joram

mo conjunctum, qui has ejus voces excepere lib. 4. Regum cap. 3. *Qui meus est, tuus est: populus meus, populus tuus: & equi mei, equi tui.* Utatur Christianus ex animo erga Deum similibus loquendi formulis; dubitaret nemo, quin maxime Deum diligat; &, quia ex caritate meriti pretium maxime augetur, quin plurimum mereatur: etsi meritum non querit; quia non se spectat, sed Deum.

VIII. Bernardus serm. 1. in Cantica, *Canticum Canticorum.* titulum illum expendens *Cantica Canticorum*: primum ad literam dicit, sic vocari eximie ac superlativè præ aliis scripturæ Canticis: quæ nudè ac simpliciter, sine comparatione vel prælatione ullâ, Cantica solummodò nominantur, uti Canticum Mosis, Annæ, Debboræ, Israëlitarum. Morali deinde sensu subjicit: in Vita spirituali & Christianâ, genera Canticorum esse varia: Canticum poenitentium, Canticum ad vitia debellata, Canticum ad comparatas virtutes, Canticum ad actiones singulas ex virtute factas, nam *cantabiles mihi erant justificationes*